Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26504
Copyright: Admont, Benediktinerstift

De assumpta iuridiciali.

Exemplum de eo qui positus in artio maluit arma dare quam milites perdere.

ridicialem causam contineri. Sin item pacta, que sine legibus observantur ex con-
ventu, que iure prestare dicuntur. His fere ex partibus iniuria demonstrari
et confirmari conveniet. id quod in absoluta iuridiciali faciendum
videtur. Cum ex comparatione queretur utrum satius fuerit agere id quod reus di-
cat se fecisse. an id quod accusator dicat oportuisse fieri.
Primum queri conveniet utrum fuerit utilius ex contentione. hoc est utrum hones-
tius. facilius. conducibilius. Deinde oportebit queri ipsumne oportuerit
iudicare utrum fuerit utilius. an aliorum fuerit utilius statuendi po-
testas. Deinde interponetur ab accusatore suspitio ex constitutione
coniecturali. quare putetur non ea ratione factum esse quod melius anteponeret.
Sed dolo malo negotium gestum. de aliqua probabili causa. ab defensore
contra refellatur argumentatio coniecturalis de qua ante dictum est. Deinde queretur
oportuitne vitari ne in eum locum veniret. His locis sic trac-
tatis accusator utetur loco communi in eum qui inutile utili prepo-
suerit. cum statuendi non habuerit potestatem. Defensor contra eos
qui equum censeant rem perniciosam utili preponi utetur loco com-
muni per conquestionem. Et querat ab accusatoribus. ab iudicibus ipsis
quid facturi essent. si in eo loco fuissent. et tempus. locum. rem. delibera-
tionem suam ponat ante oculos. Translatio criminis est cum

Exemplum de Oreste.

ab reo factum causa in aliorum peccatum transfertur. In qua primum que-
rendum est. iure ne malum crimen transferatur. Deinde spectandum est.
eque magnum sit illud peccatum quod in alium transferatur atque illud
quod reus suscepisse videatur. Deinde oportuitne iudicium
ante fieri. Deinde cum factum iudicium non sit de illo crimine quod in
alium transferatur. oporteat ne de ea re iudicium fieri.